Reverend. Pater salut. SI unquam nobis & Universo nostro Eremitico Ordini æqua extitit causa acerbi doloris, diuturnique luctus, ea est, qua præsentes cogimur, ad P. Vestram dirigere summo Cordis mœrore plenas, & conspersas amarissimis lacrymis. Amisimus heu! amisimus ornamentum pulchrius, validiusque fulcimentum, quæ usquemodo habuit Religio nostra, Reverendissimum nempe Patrem Magistrum Fratrem Augustinum Gioja à Juvenatio primum nostri Ordinis Generalem ad vitam, Visitatorem Apostolicum ejusdem Ordinis, & promovendorum ad Episcopatum Examinatorem. Placuit enim supremo vitæ ac mortis Domino, post diuturnam, ac molestissimam infirmitatem decem mensium, & octo dierum Eum à nobis abripere, & ad se vocare hora vigesima prima insignis diei primæ Novembris currentis anni, nondum completo septimo Generalatus anno, & quinquagesimo septimo ejus ætatis. Et, oh, quæ jactura, vere jactura, jactura deplorabilis est, tam immature, & hisce rerum vicissitudinibus eximium hunc Hominem amisisse, tanti amoris Patrem, tantique nominis, ac roboris, & maximæ expectationis Superiorem! Nec est, cur de Eo loquamur, aut munia recensentes, quæ in ordine obivit summa semper cum sui laude: aut beneficia exponentes, quæ præstitit, quæque præstiturus erat Ordini præfato, ut exinde clarius, viviusque perspiciatur, quæ, & quanta, & quem revera amisimus in ejus memorabili morte. Deficeret siquidem tempus in hoc complendo, & opus aliunde foret, nedum perarduum, sed etiam omnino inane. Satis namque, superque loquuntur monumenta virtutum ejus, & omnium, quæ gessit Romæ, & in Italiam, & Europam invexit, & quousque se extendit Religio Augustiniana. Loquuntur Studiorum Collegia doctrinis ejus illustrata; Juvenes in timore Domini educati, & instructi utilioribus tam Philosophicis, quam Theologicis scientiis; Provinciæ reformatæ; restaurata Templa; Cœnobia reædificata, & redditibus, ac privilegiis adaucta, saluberrimæ sancitæ Leges ubique; & Cætera peracta in incrementum, in decorem, in pacem & in omnigenam utilitatem nostræ ejusdem Religionis. Loquuntur parietes, & lapides magni hujus Cœnobii Romani ab Eo brevi temporis spatio à fundamentis iterum excitati, & magnificentius extructi; eumque, ut solicitum, ac munificentissimum Fundatorem suum summis laudibus extollunt, & inconsolabiliter deplorant. Loquuntur Supremi Principes, Purpurati, Præsules, Proceres, doctissimi Viri, & quotquot eum diu diuque agnovere, & ajunt: vix unquam sese reperiisse Hominem tam fidelem in promissis, sincerum in verbis, pium in sensis, in operibus honestum, profundum in doctrina, fortem in tuenda administrandaque justitia, in arduis prudentem, constantem in adversis, & in prosperis tam humiliter, ac modeste de seipso sentientem. Loquuntur. . . . . Verùm, sileant Omnes, & quis sit, Quem amisimus, audiamus à Supremo Ecclesiæ Pastore, & Summo gloriosè regnante Pontifice Benedicto XIV. qui præ omnibus eum agnovit, introspexitque ejus sensa, & opera. Ipse igitur Summus Pontifex loquitur, & omni Ævo, omnique Posteritati testatur illustrem Defunctum *magna cum ejus nominis commendatione, & Pontificii sui animi gratulatione, & Ordinis sui utilitate se gessisse in obeundo officio Visitatoris Apostolici per Italiam, & in aliis gravissimis ejusdem Ordinis ministeriis rite, sancteque adimplendis. Præfuisse Ordini magna cum prudentiæ, & zeli laude. Et ob ingentem Romani Ædificii molem, ab eo excitatam, sine ullis adhuc ad ipsum delatis querimoniis, promeruisse, ut non sine sui admiratione, sæpesæpius comendaret palam ejus industriam, prudentiam, & sedulitatem.* Et alia id genus honorificentiæ argumenta, quæ in aureis, & Apostolicis suis Brevibus videre est. Nec verbis tantum, aut scriptis id exposuit prælaudatus Clementissimus Pontifex, sed etiam gratiosorum operum assiduitate, & multiplicitate beneficiorum comprobavit. Eum namque ægrotantem non semel invisit, & ad Pedes suos sanctissimos pro audientia accedentem excepit, semper clementia inaudita. Non semel etiam accessit ad invisendas ejus Ædes, tum Romæ, tum in Oppido Mareni extructas. Emeritum Nepotem ejus, motu proprio promovit ad vici Equensis Episcoparum. Eum elegit Promovendorum ad Epicopatum Examinatorem, & Visitatorem Apostolicum totius Ordinis, eique facultates amplissimas fecit nulli alteri usqueadeo concessas. Dedit ei, & ad ejus preces, cæteris etiam Generalibus Ordinis Privilegium perpetuò duraturum, ut quocumque in Altari sacrosanctum Sacrificium Missæ celebrarent, Sacrificium Missæ sic celebratum perinde suffragari, ac si ad Altare Privilegiatum fuisset celebratum. Declaravit Altaria Privilegiata perpetua tam pro eo, quam pro ejus Successoribus; imo etiam pro quibuscumque Sacerdotibus Ordinis, ac pro nobilibus Hospitibus duo Oratoria in Ædibus Romæ, & Mareni constructa. Concessit universis Ecclesiis Ordinis sive erectis, sive in posterum erigendis Altare Privilegiatum perpetuum. Publicis consignavit Tabulis antiquam consuetudinem Ordinis elargiendi Christifidelibus Papalem Benedictionem. Jus fecit Perpetuum nostri Ordinis, Consultorem habere Sacrorum Rituum, non secus ac habet Lectorem in almo Sapientiæ Archygimnasio, & in Sacrario Pontificio Præfectum. Procuratoribus, Commissariis, ac Missionariis omnibus Prov[illegible] [illegible]æ nostræ Insularum Philippinarum facultatem fecit Oratoria erigendi in Domibus privatis, toto eo tempore, quo extra Domos Regulares Ordinis morari iisdem contigerit. Summa quoque optimi Principis liberalitate huic nostro Romano Cœnobio uberrimam aquæ Virginis copiam suppeditavit. Ut cætera reticeamus Pastoralis munificentiæ suæ, summæque suæ dignationis symbola, quæ præ[illegible]ecto Filio suo, & illustri nostro Patri Defuncto exhibuit, quæque longum esset, ac valde incongruum proferre in medium. En igitur Quem amisit viduata ferè Religio nos-

nostra, dum tanti nominis, ac existimationis supremum hunc suum Moderatorem amisit: ac proinde quam juste, quam amare, & diuturne dolendum eidem de ejus morte. Sed quid diximus, Religio eum amisit? Nequaquam, nequaquam. Revera enim Religio non eum amisit, sed acquisivit in melius. Æternus siquidem, ac Piissimus Dominus, qui sæpesæpius delectatur palam facere servis suis, quid possit triumphantis gratiæ suæ, & infinitæ suæ misericordiæ thesaurus, in ultimis infirmitatis diebus nostri Reverendissimi Patris, talibus circumfulsit eum supernis luminibus, tantaque circumvenit eum spiritus fortitudine, & distractione à vita, à mundo, & à terrenis quibuscumque rebus, ut meritò dici possit, exhibuisse eum, quemadmodum in vita, sic etiam in morte, & Angelis, & Hominibus, exemplum fortitudinis, & integritatis. Dictum est ei gravibus, ac perspicuis verbis, *quod infirmitas sua plena esset multis magnisque periculis*: suasum dein ab aliis, *cum inutilia essent remedia humana, ut attenderet tantum ad cœlestia, vovendo Sanctis, quò salutem, & vitam adeo Religioni suæ proficuam, impetrarent sibi a Domino*. At ille statim heroico spiritu, & vix unquam audita constantia reposuit: *Quinimmo, hoc Sanctis, hoc Deo vovendum est, hocque revera vovebo, ut etiam si supervivere debeam, mortem non vitam ulteriorem habeam. Sic enim merentur peccata mea: sic etiam placatur Divina Justitia: sic tandèm ab offenso Domino sperari potest misericordia, ut me excipiat in salutis locum. Justum..... Justum est, ut moriar: In me siquidem moritur maximus hujus Mundi peccator*. Interim autem rebus Religionis dispositis, ac generali Confessione peracta, & ultimis acceptis Sanctæ Matris Ecclesiæ Sacramentis, necnon in voto emisso persistens, illudque etiam confirmans magna quantitate Cerarum, & copiosa eleemosyna transmissa ad Insigne nostrum Sanctuarium Jenazanense; reliquum vitæ suæ tempus, quo fere quotidie refici voluit sacra synaxi, fuit continua oratio, & contemplatio misericordiarum Domini, & serventissima recomendatio suæ animæ. Nec unquam ab eo querimoniæ verbum prolatum est de suis malis; imo cum insævirent in eum dolores mortis, hoc sæpesæpius repetere solebat: *Domine hic ure, hic seca, hic non parcas, ut in æternum parcas. Domine adauge dolorem, sed adauge pacientiam*. Et dein ad piissimam Virginem conversus: *Monstra*, ei ajebat ardentissimis votis, *monstra te esse Matrem*. Cum autem inspiceret vitam suam adhuc pertendi, non semel quoque anhelans, & gemebundus dixit: *Et quando, quãdo superveniet mors, ut ab omni me eripiat periculo peccandi, & offendendi Deum meum*. Ut vero à Sacerdote sibi adstante audiit: *Bono animo esto, Reverendissime Pater; Dominus namque jamjam Te exaudiit, & modicum superest, ut liberet Te ab omni, quem times, periculoso laqueo*. Injunctis illico manibus, & elevatis oculis in Cœlum, lætanter reposuit: *Sit nomen Domini benedictum*. Petiit absolutionem Papalem in articulo mortis, eaque devotissimè suscepta, post quadrantem horæ integris sensibus, & jucundissimo aspectu spiritum reddidit Salvatori. Cum igitur tam pia, & pretiosa extiterit Nostri Reverendissimi Patris Mors, verum non est, quod eum amiserit Religio nostra. E cœlesti etenim Gloria, quæ merces est integerrimæ vitæ, & piæ, pretiosæque mortis corona, amare perget dilectissimam Religionem suam, eamque assiduis, & longe majoribus persequetur beneficiis. Nihilominus, ut debito nostro non deficiamus, & ut Muneri faciamus satis, ad quod quantumvis immeritò, juxta nostri Ordinis leges sumus assumpti, curæ committimus Paternitatis Vestræ, ut quamcitò, & majori, qua fieri potest devotione, & solemnitate, pro ipsius anima suffragia persolvantur, quæ in ejusdem Ordinis Constitutionibus part. 1. cap. 2. §. 3. descripta sunt. Dum nos de Paternitatis Vestræ pietate, ac sedulitate securi, vota concipimus, ut bene in Domino valeat.

Rev. Paternitatis Vestræ

Romæ die 6. Novembris 1751.

Amantissimus.

Fr. Franciscus Xaverius Vazquez,
Vicar. Gener.